



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. V. Ob honores & Dignitates.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

ait, *præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, bene agere, divitiis fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.*

§. V.

Tentatio V. ob Honores & Dignitates.

XXIII. **H**onorius Religiosus in discordia Electorum contra spem omnem & expectationem in Abbatem electus, mox factò suo confirmare incipit commune proverbium, quo dicitur: *Honores mutant mores, sed rarò in meliores; nam & gravitatem extraordinariam assumit, & supercilia obdelatum honorem erigens, subditos suos omnes depicit: despoticèque tractat. Quæritur, quomodo contra hanc tentationem armandus sit?*

Responsio.

XXIV. Primò illi ostendat, quis sit verus Honor, nimirum ille, qui ex virtute oritur, uti præclare S. Chrysostomus indicavit dicens: *Honor verus virtus animi est; hic honor nec à Cesaribus præstat, nec adulatione conquiritur, nec pecuniâ preparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti, hujus honoris successor est nullus, nullus accusator, nullus ingratus. Cui consentiens S. Bernardus in Cant. Virtus, inquit, Mater gloria est; sola enim est, cui gloria debetur, & securè impenditur. Quæ autem est sue virtute gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, periculose captatur. Hinc Romani olim duo*
Tem-

Templa, unum Honori, alterum Virtuti ædificabatur, sed ita, ut nulli ad Honoris templum pateret accessus, qui non per virtutis templum transisset, significat per hoc volentes, quòd solus ille verus honor certus sit, qui per virtutem comparatur.

XXV. Secundò eidem ostendat, honorem, qui illi exhibetur, non propter ipsum, sed propter DEUM exhiberi, ut aliquando bene Agaso quidam ostendit dum Mulo splendidè ornato, & Ifidis Deæ statua in publica processione portanti, ac, quòd populus coram se flectentem cerneret, sese erigenti latus perfodit dicens: *Non tibi, sed Ifidi*, scilicet honorem exhibetur. Id quod bene agnoscens Carolus Magnus, qui, cùm Saxones, aliique finitimi populi pedes illius prociderent, séque obsequio illius dederent, illis in brachia acceptis dixit: *Nolo, mihi servire, sed DEO*; ut adèd meritò quivis superior cum Propheta ps. 113. dicere debeat: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*.

XXVI. Tertiò eidem ostendat, non hoc quòd alios dignitatis altitudine superet, etiam præstimum esse, uti præclarè Seneca in epist. 48. cavet dicens: *Nemo eorum, quos divitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? cum basi sua illum metiris. Minus pumilio, etsi in monte constiterit: Colossus magnam dinem servabit, etiamsi in puteo constiterit.* Hoc boramus errore, quòd neminem æstimamus ex corpore. Cùm verò velis æstimationem hominis inire, & scire qualis sit, nudum inspice, ponat matrimonium, honores, & alia fortuna mendacia, corpus suum exuat, & animum intuere, qualis sit, quantusve, alieno, ad præ-

magnus. Christus Luc. 10. Apostolis dixit: *Nolite gaudere, quia Spiritus subjiciuntur vobis; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis.* Et iterum Luc. 9. cum intrasset cogitatio in eos, quis eorum major esset, apprehendit Puerum, & statuit illum juxta se dicens: *Qui minor est inter vos omnes, hic major est.*

XXVII. Quartò jubeat illum bene considerare horrendam Salomonis Sap. 6. Sententiam: *Judicium durissimum his, qui presunt, fiet; exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur; fortioribus namque fortior instat cruciatio.* Unde Urbanus VIII. quoties amiculum è subtili tela induebat, alto pectore ingeminans dicebat: *Quis crederet, sub tam levi sindone tantum ponderis delitescere! & Antiganus Rex in Regem adscitus, antequam diadema capiti imponeret, ô nobilem magis, aiebat, quam felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis, & miserijs sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.* Hinc meritò Isidorus l. 3. de summo bono c. 48. dixit: *Omne, quod supereminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet, quanto quisque curis mundi majoribus occupatur, tanto facilius vitijs premittur; si enim vix animus valet peccata devitare quietus, quanto minus occupatione seculari devinctus?*

§. VI.

Tentatio VI. Ob vestium luxum.

XXVIII. **R**osina Nobilis Matrona singularem delectationem sentit in vestibus novis & pretiosis comparandis, ideòque undique congerit media

K

dia